

ratione comprobatur, & id propter distinctio vocabulorum insignita est à Philosopho, ut dicatur $\epsilon\chi' \epsilon\kappa\epsilon\sigma\iota$ *non spontanea*. Inquis: Hujusmodi factum non potest dici voluntarium, quia ille non volebat novercam sed canem lapide petere; at *Respondetur* distinguendo inter voluntarium formale, quod à voluntate explicita est, & per actum aliquem positivum liberum; & inter *voluntarium interpretativum*, quod à voluntate explicita non est, sed tantum præsumpta: hoc quidem formaliter & explicitè voluntarium non est, interpretativè tamen & implicitè est voluntarium, hoc ipsò dum nulla poenitentia subsequitur, & is qui novercam offendit, aliàs abuisse offendendi animum præsumitur.

§ XII.

Cum non quælibet ignorantia actionem in vitam reddat, neque ipsa fit unius generis semperque eodem modo sese habeat, ideò nos operæ pretium facturos esse reor, si huic doctrinæ paulisper immorati fuerimus & varias ignorantie species attulerimus. Constituit autem Aristoteles *1. Post. c. 12. 13. 14.* duplicem ignorantiam, unam $\kappa\alpha\iota' \delta\pi\acute{\rho}\alpha\sigma\iota\upsilon$, quam vocant *pure negationis*; alteram $\kappa\tau\iota \delta\iota\alpha\theta\epsilon\sigma\iota\upsilon$, quam vocant *prave dispositionis*; Ignorantia pure negationis est, quando quis nullam prorsus de re aliquâ opinionem concedit, neque veram, neque falsam, qualis est omnium nostrum de numero stellarum, parne sit, an impar? cum nemo sit, qui vel parem vel imparem statuatur, sed omnes id se ignorare fatentur. Ignorantia *prave dispositionis* est, quando quis credit veram esse aliquam propositionem, quæ falsa est & opposita propositioni veræ. Quæ ignorantia priori longè peior est, potestque esse duobus modis; aut enim est *in principiis*, aut *in conclusionibus*. In *principiis* esse dicitur, quando aliquis in Geometriâ putet lineas à centro Circuli ad peripheriam ductas esse inæquales: In *conclusionibus* verò, si putet tres angulos trianguli non esse æquales duobus rectis. Ille namque principio primo contradicit: hic verò conclusioni veræ. De quâ ignorantia fusius Logici agunt.

§ XIII.

Deinceps ignorantia dispescitur in *antecedentem*, *conco-*